

THESEM PHYSIOLOGICAM

Sub hac verborum serie

Omne Temperamentum est calido - humidum. 5.

AVSPICIIS

PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. PETRI DE TULLE Iterùm Primicerij.

Rectoris, Iudicis, & Privilegiorum Conservatoris.

Præside Illustri ac Nobili D. ALEXANDRO IOSEPHO DE SERREPVY Doctore Medico, Aggregato, Regente ordinario, ac Professore Primario & Botanico,

Tuebitur D. EDMVNDVS ROGER Liniensis jam dudùm Medicinæ studiosus, nec non Artium Liberalium Magister.

PRO BACCALAUREATUS GRADU

I

TEMPERANTI cognitio veré anima medica nuncupanda est quòd scilicet absque ea nec intimior corporis energia dignoscatur nec læsa ejusdem temperies ad pristinum sanitatis tonum possit restitui.

II

TEMPERAMENTUM ab Antiquis definitur proportio quatuor qualitatum principum ex elementorum mixtione orta ad functiones ritè obeundas: à recentioribus quibusdam conveniens elementorum proportio ex qua omnes actiones humani corporis dependent: auté contra est quatuor vulgatarum primarum qualitatum proportio ex diversâ integrantium humani corporis partium modificatione orta cujus ratione functiones ritè perficiuntur.

III

PER qualitatem nos non intelligimus antiquatam illam qualitatum substantiam ab subjecto distinctam qua *occultum per occultius explicabatur, ut v. g. ignis* calidus est quia habet qualitatem calidam, sed asserimus eam ipsam esse particularum insensibilium partes sensibiles constituentium certam dispositionem a qua corpus denominatur quale, ita ut qualitates omnes sint variæ materiæ affectiones ab ejusdem particularum motu, situ, & configuratione prodeuntes; nempè qualitas ignis in eo consistit quod particulæ mixti vehementer & in omnem sensum cieantur. Ita ut calor non sit substantia distincta à materiâ deflagrante, sed sit ipsa materia deflagrans cujus partes violenter agitatæ eam animæ mediantibus sensibus imprimant sensationem quam calorem appellamus, si igitur eo utamur vocabulo, qualitas, nihil aliud intelligimus quàm motum, situm, & configurationem particularum alicujus corporis, seu materiam ipsam diversimodé divisam, commotam, contextam & configuratam. Quamvis innumeræ possint esse qualitates seu potius innumeris fermè modis possit affici materia, id est dividi, commoveri, disponi, & configurari, dividuntur tamen qualitates in primas tantúm & secundas; primæ quatuor sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas, ex quibus ea quæ in temperamento suam contrariam superat, temperamentum denominat ut v. g. si phlegma viscosum sali prædominetur in Petro, temperamentum Petri erit phlegmaticum seu humidum. Subdividitur qualitas prima in qualitatem primam actu, & qualitatem primam potentiâ; qualitas prima actu ea est quæ primo contactu & immediaté afficit ut calor ignis vulgaris, id est, cum corpuscula ignea violenter vibrata eam tactus organo seu nervis per totum corpus diffusis ac dispersis irritationem seu dilacerationem excitant, quâ ipsi nervi violenter distenduntur & concutiuntur & spiritus animales velociter & irregulariter rapiuntur ad sensorium commune, undé tunc temporis molestâ caloris seu adustionis sensatione afficitur anima. Ex eadem mecanicâ intelligitur quomodo frigus aquæ communis afficiat animam mediantibus scilicet motu, situ, & configuratione particularum aquearum talem in fibris nerveis impressionem facientium ut indè percipiatur frigoris sensatio. Qualitas potentiâ prima est quæ primo contactu & immediaté non afficit ut v. g. calor in pipere & frigus in lactucâ Primo enim contactu non afficit piperis calor, oportet ut salivâ, alijsque succis & fermentis dissolvatur & devehatur in massam sanguineam. Volatiles ejus salino sulphureæ particulæ totum sanguinis contextum permeant, agitant, & attenuant: undé calor excitatur. E contra phlegmatica & terrestria lactucæ principia massam sanguineam subeuntia moleculas ejus quasi concatenant, ipsarumque motum idcircò retardant undé frigus. Alias qualitates quæ secundæ dicuntur brevitatis ergò prætermittimus, his itaque positis varias exponamus temperamentorum definitiones.

IV

1°. VETERES definiebant temperamentum proportionem quatuor primarum qualitatum ex elementorum mixtione ortam quia omnia corpora ex igne, aëre, aqua & terra tanquàm ex primis elementis componi credebant, suaque cuilibet elemento tribuebatur qualitas, igni caliditas, aëri frigiditas, aquæ humiditas, terræ siccitas. Sed dudùm obsolevit hæc opinio, in ea evellendâ non immorabimur. Ex prædominio itaque ignej elementi in corpore calidum dicebatur temperamentum, ex prædominio aquæ humidum & sic de cæteris. Et ex contemperatione ignis & aquæ calido humidum & sic vice versâ; undé octo stabiliebantur temperamentorum differentiæ quatuor nempè erant simplicia, quatuor composita quibus additur alterum moderatum scilicet quod est duplex, æquale ad pondus, & æquale ad justitiam. Quatuor simplicia temperamenta sunt calidum, humidum, frigidum, & siccum. Quatuor composita sunt calido humidum, calido siccum, frigido humidum, & frigido siccum. Æquale ad pondus illud est in quo omnes qualitates primæ pari gradu sunt commixtæ. Dubitatur tamen an alicuj naturæ possit convenire & determinari, æquale ad justitiam primas habet elementorum qualitates sive in pari gradu sive non ad eam proportionem redactas quæ ad proprias functiones obeundas unicujque parti convenit, aliæ sunt etiam temperamentorum divisiones in totale & partiale, in innatum & acquisitum ratione sexûs & ratione ætatis, sed hæc omnia cum in ista paginarum contractione contineri non possent ultrò prætermittimus: hęc etiam definitio rejicienda est, temperamentum est vulgatarum quatuor primarum qualitatum proportio ex diversâ integrantium humani corporis partium modificatione &c. Quia causam primam temperamentorum non exponit sed effectum pro causâ assignat. Nam posito quod partes integrantes tali vel tali modo compositæ & commotæ, tale vel tale temperamentum constituerent, semper in hanc incurrimus difficultatem. Cur & quâ ratione tali vel tali modo compositæ & commotæ fuerint, quod equidem non nisi ex certa principiorum proportione intelligi potest qua partes integrantes talem vel talem modificationem acquisiverunt, ita ut partes integrantes sint potius effectus quàm causæ temperamentorum nam v. g. cum earum una quælibet sale sulphure phlegmate & terrâ diversimodè commixtis & comtemperatis constet, ita & suum proprium sortita est temperamentum, varia igitur principiorum Chymicorum proportio varia efficit temperamenta, nos tamen & si hæc unica rigorosé sufficiat ad constituendum temperamentum addimus. Organorum seu solidarum partium dispositionem ad id etiam aliquantulum conferre, undè aliud in hominibus celsæ magnitudinis aliud in parvis, unum in obesis alterum in macilentis & omne quodcunque pro varijs corporis mole, habitu, & principiorum exaltatione discrepans penitùs observatur temperamentum quòd rigorosé ut diximus & essentialiter consistit in certa principiorum proportione quippé quæ principia varie exaltata aut depressa extricata aut intricata variam inducunt temperierum differentiam, & ideò temperamentum calidum humidum seu sanguineum in luxuriantibus sulphure & phlegmate calidum siccum seu biliosum in exaltatis salibus hæterogeneis invicem tumultuantibus principio salino sulphureo præcipué dominium tenente, frigidum humidum seu pituitosum in abundante phlegmate, frigidum siccum seu melancholicum in acido aut terrâ sanguinem nimis inspissantibus statuimus.

V

QUOCUMQUE igitur modo exaltata aut depressa combinata volatilisata aut fixata sint in corpore humano principia ea semper magis minusve commoventur & invicem fermentescunt, fermentatio autem non potest excitari absque motu fluidi & calore, & ideò omnes partes corporis sunt calidæ humidæ quod si varij sint gradus in istis calore & humiditate ut ab ijs omnia prodeant temperamenta hæc comparativé & non absoluté diversa stabiliuntur id est temperamentum magis calidum & minus humidum habitâ ratione ad aliud dicitur calidum siccum. Ergò Jure concludimus

Omne Temperamentum esse calido-humidum.



Agitabitur Deo Duce & auspice Dei-Para. in Aula Vniversitatis Die 19° mensis Iulij à septima ad undecinam.

AVENIONE Apud FRANCISCUM MALLARD Bibliop. & Typogr. Illust. & Excell. Archiepiscopi & Universitatis 1710,